MISSALE ZAGRABIENSE

Diözese Agram, 3. Viertel 15. Jh. Seite 80v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8457
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Purifica nos, **Secreta.** Misericors deus ut ecclesie tue preces que tibi grate sunt pia munera deferentes fiant expiatis mentibus gratiores, per. **Co.** Domine memorabor iusticie tue solius deus docuisti me a iuventute mea et usque in senectam et senium deus ne derelinquas me. **Post com.** Celestia dona capientibus quesumus domine non ad iudicium provenire patiaris que fidelibus tuis ad remedium **Super populum.** Populi tui providisti, deus institutor et rector, peccata quibus impugnatur expelle; ut semper tibi placitus et tuo munimine sit securus. **Feria vj.** Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper domine adiutor meus et redemptor meus. **Ps.** Celi enarrant gloriam dei et opera manuum eius annunciat firmamentum. **Oro.** Deus qui ineffabilibus mundum renovas sacramentis, presta quesumus; ut ecclesia tua eternis proficiat institutis, et temporalibus non destituatur auxiliis. **Lectio libri regum.** In diebus illis, Egrotavit filius mulieris matrisfamilie, et erat languor fortissimus; ita ut non remaneret in eo halitus. Dixit ergo ad Heliam. Quid mihi et tibi vir dei? Ingressus es ad me ut rememorarentur iniquitates mee; et interficeres filium meum. Et ait ad eam Helyas. Da mihi filium tuum. Tulitque eum de sinu illius et portavit eum in cenaculum ubi ipse manebat; et posuit eum super lectulum suum, et clamavit ad dominum et dixit. Domine deus meus; etiam ne viduam apud quam ego utcumque sustentor afflixisti, ut interficeres filium eius. Et expandit se atque mensus est super puerum tribus vicibus; clamavitque ad dominum et dixit. Domine deus meus, revertatur oro anima pueri huius in viscera eius. Et exaudivit dominus vocem Helye:

Et reversa est anima pueri intra eum